



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

Dusault, Nicolas

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. 1. Definitio fiduciæ in Deum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

plures hoc in tractatu titulos proposui, ut & materia plus gratiæ & lectio minus habeat tædii. Nonnulla tamen capita fortasse longiora videbuntur, sed rerum quas tracto excellentia & paragraphorum quibus continentur, brevitatis facient ut mutes iudicium. Eiusmodi sunt libri tertii caput primum, & secundum, quæ duos libros ab hoc opere separatos possent efficere. Ecce amice lector, illud erat de quo admonendus videbare, ut propositum à me finem procedendique methodum in ipso limine plenius cognosceres. Spero fore, ut rerum quas selegi copia, in te desiderium excitet legendi, acuat diligentiam inde proficiendi, conciliet facilitatem ad excusandos defectus, in primis verò fidelitatis admoneat, qua quidquid boni hinc hauseris ad bonorum omnium fontem Deum, ejusque majorem gloriam referas; totum enim ad honorem Dei Opt. Maximi, tuamque utilitatem & scriptum & cogitatum est.

CONSIDERATIONES GENERALES.

De Fiduciâ in Deum.

Prefatio hujus Tractatus.

§. I.

Definitio Fiduciæ in Deum.

Fiducia in Deum Creatorem nostrum ac
A 4 supre-

supremum Dominum non consistit solum in sublimibus, quos fides nos docet de summa ejus providentiâ & bonitate infinitâ conceptibus, nec in spe simplici ex illis profectâ obtinendi divinam opem atque adiutorium, quod in nostrorum administratione negotiorum implorandum est, quanquam hæc dispositio, in quibus ea inest, nequaquam est contemnenda. Verum est certa animi firmitas tam altè defixa in Deo ac radicata, ut nullis creatis viribus, ullo unquam tempore possit ab eo abstrahi atque avelli. Cujus nobis figuram exprimit Evangelica parabola de domo viri sapientis Matth. 7. & Luc. 6. *quam adificavit super petram & descendit pluvia & venerunt flumina & flauerunt venti & irruerunt in domum illam & non cecidit, immo nec commovere potuerunt.* S. Thomas de Fide in genere tractans 22. q. 129. a. 6. eam ad Fortitudinem & Magnanimitatem refert, propterea quod repellat malum quod timeri posset, & spem roborat de assequendo bono, quæ sunt duæ conditiones necessariæ ad perfectionem duarum istarum virtutum. Et Albertus Magnus ejus Magister ante illum dixerat: in Paradiso animæ cap. de fiducia in Deum 36. *Confidentia vera & perfecta est mentis securitas, quod omnipotens & fidelis Deus*

Deus nunquam amicos suos dereliquit, juxta illud Ecclesiasti 2. Quis speravit in Domino & confusus est permansit in mandatis ejus & derelictus est? Itaque Dei Omnipotentia & Fidelitas Fiduciâ nostrâ sunt fundamenta: quibus sicut nihil potest fingi firmitus, ita excogitari nihil melius cui illa innitatur. Quod si fiducia nostra vano aliquo timore se patiatur percelli, perdet continuo omne robur suum, nec jam comparanda est rupi quæ illisos oceani fluctus immota repellit, sed potius fluctui maris qui à vento moveretur & circumfertur ut sanctus loquitur Jacobus Apostolus in suâ Canonica c. 1.

§. II.

Proprietates Fiduciâ in Deum.

Ludovicus Granatensis Concione. 2. Domin. 23. post pentec. scribens de hac admirabili virtute dicit eam non minus esse principium impetrandi, quam Charitas est merendi, & quotquot cum fiduciâ Deum orant, tam certò consequi ea, quæ rogant, quam illi nova donantur gratiâ qui actiones suas in charitate perficiunt. Hoc sensu loquitur S. Bernard. in ps. 90. super hæc Verba: *omnis locus quæ calcaverit pes vester, vester erit.* Deut. 11. *Pes noster, inquit, spes nostra est, quidquid*

A 5

Assist-